



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. VIII. Quid sit timor mundanus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

nostrum, pertinent ad obiectum timoris seruilis: & timor filialis propriè timet culpâ, quatenus displicet Deo; & pœnam damni solum, quatenus impedit caritatem in Deum. Cùm igitur, vt patet ex dictis dub. 4. 5. & 6. timor filialis habeat pro obiecto culpam præcisè quatenus displicet Deo, eiusque quoddam est malum, & seruilis ipsam pœnam, quatenus nobis mala est; illeque procedat ex amore amicitiae erga Deum, hic ex amore nostri; fieri omnino nequit vt vnus specie ac numero actus habeat obiectum formale constatum ex obiectis formalibus vtriusque illius amotis: nam sic idem actus esset amor amicitiae erga Deum, & amor proprius nostri, & pertinere ad distincta genera, vt patet ex dictis disp. 19. dub. 1.

Obiectum formale timoris filialis nequit cum obiecto timoris seruilis confluere vnum obiectum formale.

52 D. Thom.

Timor seruilis potest dici initialis, quatenus nos ad filialitatem inducit. Trident. August.

53

Qua ratione timor initialis dicitur constari ex seruilis & filialis.

54

Cum nouo dicitur timor seruilis initialis.

Pro resolutione Nota cum D. Thoma 2. 2. q. 19. a. 8. timor initialis sic dicitur, quod sit initium timoris filialis siue caritatis: hoc autem initium potest esse duplex. Primum, extrinsecum; qua ratione dispositio ad formam etiam remota dicitur initium ipsius formae: & hac ratione timor seruilis potest dici timor initialis, quia, vt docet Trid. sess. 6. c. 6. paulatim nos disponit ad caritatem & dilectionem Dei. vnde D. August. tra. 8. 9. in epist. 1. S. Iohannis comparat timorem seruillem setæ qua filium inducitur, & ferro medici aperientis vlcus, vt sanitas acquiratur: quia scilicet per filium inducitur caritas.

Aliàs initium rei dicitur id, quod ipsi intrinsecum est: sic caritas imperfecta est initium caritatis perfectæ. Et hac ratione timor filialis adhuc imperfectus dicitur timor initialis, respectu timoris filialis perfecti: & in hoc sensu communiter ferè accipitur timor initialis. Itaque timor initialis in priore sensu nihil est aliud quàm timor seruilis, prout disponit nos ad caritatem suscipiendam. In secundo sensu est substantialiter idem cum timore filiali, solumque in eo connotat quandam imperfectionem, qualis in rebus incipientibus esse solet, quæ paulatim ad perfectionem ducuntur. Item connotat in suo subiecto frequentes motus timoris seruilis, cum quadâ anxietate, quæ paulatim crescente caritate minuitur, iuxta dicta n. 50. Et hac ratione quandoque dicitur timorem initialem constari ex filiali & seruilis; non quod intrinsecè vtroque constet, sed quod connotet hunc secum coniunctum in eodem subiecto.

Petes, cur, sicut datur timor filialis initialis, ita similiter non datur timor seruilis initialis? Respondeo ratione esse, quia timor filialis initio est minor etiam in ratione timoris filialis, & crescente caritate crescit: timor verò seruilis qua talis est initio maior, & eius seruilitas accedente caritate tollitur, & hac crescentè anxietas quam connotat minuitur; atque ita ipse decrescit, quatenus habet rationem timoris seruilis.

D V B I V M VIII.

Quid sit timor mundanus?

55 CONCLUSIO I. Timor mundanus est, quod vitamus miseria huius vitæ, vt ad eas vitandas simus parati peccare: sicut amor mundanus de act. supernat.

danus est, quo ita amamus commoda temporalia, vt ad ea assequenda simus parati peccare. De hoc timore ait Isaias c. 8. *Timorem eius ne timeatis, neque pauceatis; Dominum exercituum ipsum sanctificatis; ipse timor vester. & ipse terror vester.* Et D. Petrus epist. 1. c. 3. *Timorem autem eorum ne timeatis.* Et Christus Luca 12. *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus.* Et de amore hoc ait Iohannes epist. 1. c. 2. *Si quis diligit mundum, non est caritas Dei in eo.* Et in Euang. c. 12. arguit Phariseos, quia diligebant magis gloriam hominum quam Dei.

Isaias 8.

1. Petr. 3.

Luc. 12.

1. Iohan. 2.

Iohan. 12.

CONCLUSIO II. Hic timor vel amor non sunt mali ex obiecto, seu quia tendunt in tale obiectum, sed quia inordinate in id tendunt. Probatur prior pars, quia vt sic sunt naturales affectus, qui possunt esse boni vel mali: naturale enim est homini fugere naturam incommoda, & amare ei commoda, quia naturaliter nos ipsos amamus. Probatur secunda pars, quia hæc inordinata tendentia est implicita volitio peccati, quod apprehenditur vt necessarium medium assequendi commodi, vel vitanda miseria: sicut omnis efficax volitio finis est implicita volitio medijs necessarijs. vnde tales affectus in genere moris habent eandem numero malitiam cum peccato ad quod inclinant. v. c. amor pecuniæ ob quam paratus es peierare, habet malitiam perituri.

56

Qua ratione timor & amor mundani sunt mali.

D V B I V M IX.

Vtrum timor maneat in Beatis?

57 Hinc in re certum est timorem mundanum nullo modo remanere in Beatis, quia vitiosus est: in Beatis autem nullum potest esse vitium. Item timorem seruillem in ijs non remanere, quia cum omnino certò sciant nullam sibi pœnam amplius posse imminere, nullam timere possunt, Idque non solum quatenus timor connotat aliquam anxietatem animi fugientis imminens malum: sed etiam quatenus præcisè dicit huius efficacem fugam, aut conatur ad eius fugam, quia hæc necessariò respiciunt malum possibile euenire, ac nisi fugiatur probabiliter euenturum: sicut spes necessariò respicit bonum possibile acquiri; quare sicut hæc nequit versari circa bonum quod certò scitur omnino impossibile acquiri: ita timor nequit versari circa malum quod certò scitur nullo modo posse euenire. Quare cum respectu Beatorum nullum sit tale malum, non potest in ijs esse timor seruilis. Nec refert quod in ijs permaneat habitus, quo hæc eliceretur timorem seruillem; quia cum ibi actus sit ipsis impossibilis, ille ibi nullam omnino habet rationem timoris. Ex quibus videtur etiam sequi, in Beatis non remanere actum timoris filialis, quia cum sciant sibi omnino esse impossibile peccare, nequeunt peccatum apprehendere, vt malum sibi vilo modo imminens aut vitatum difficile, & consequenter nec possunt illud timere.

57

Timor mundanus & seruilis nequeunt esse in Beatis.

58

Contrà tamen videtur omnino certum in ijs repetiri aliquem actum timoris, quo Deum verè timent: nam Isaias 11. de Christo dicitur, *Et replebit eum spiritus timoris Domini.* Et psal. 18. dicitur, *Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi.* Et quamuis aliqui hunc locum explicent, quod timor

Isaias 11.

Psal. 18.

L I timor